

8.
7

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM,
De
**STUDII BIBLICI
CUM SYSTEMATICO CON-
NEXIONE, HUJUSQUE DI-
VINA ORIGINE,**

Sub Divini Numinis Auspicio,
Pl. Rev. Facultatis Theologice consensu,

PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS FECHTII,

S.S. Theol. Doct., Ejusdemqve Profess. Publ. Ord.

longe celeberrimi, Consistorii Ducal. Adseß. meritissimi,

& Districtus Rostoch. Superintend.

optimi, vigilantiss.

Dni. Patroni, Præceptoris & in Christo Patris,

omni filiali observantiâ & obseqvio ætatem deve-
nerandi, colendi,

In celeberrima Mecklenburgensium ad Varnum
Universitate,

Horis antemeridianis


die 23. Augusti Anni MDCCII.

IN AUDITORIO MAJORI

publicè, placideqve ventilandam proponit

HERMANNUS MÜLLER,

Riga Livonus.



Rostochi, Typis NICOLAI SCHWIEGERI, Ampliss. Senat. Typograph.

viii.

Perillustri. Regiæ. Civitatis.

Livonorum. Rigensium.

SENATUI.

Optimis. Reipublicæ, terra, mariqve, inclutæ.
PROCERIBUS. PRIMICERIIS. OPTI-
MATIBUS.

VIRIS.

Magnificis. Perqvam. Strenuis. Generosis. Præ-
nobilissimis. Consultissimis. Amplissimis.
Prudentissimis. Spectatissimis.

DNNIS.

DN. BURGGRAVIO. REGIO.

DNN. CONSULIBUS.

DN. PRÆTORI.

DN. SYNDICO.

DNN. SENATORIBUS.

DNN. SECRETARIIS.

Patribus. Patriæ, singulariter.
suspiciendis.

ut.

ut. &
Nobilissimis. Clarissimis. Spectatissimisq;.
DNN.

DN. TRIBUNO. & DNN. SENIORI-
BUS. COLLEGII. MAJORIS.
Dominis. Mecenatibus. Nutritoribus. Pro-
motoribus. Evergetis. Patronis.
ac. Fautoribus.

submisè. colendis. debitè. honorandis.

Qui, ut. de.

Sincera. in. SERENISS. REGEM. fide.

Indefessa. in. Subditos. cura.

felici. in. hostes. prudentia.

Paterno. in. studia. liberalia amore.

Magnifico. in. omnes. affectu.

deprædicari. celebrari. æstimari. sat. nequeunt.

Ita. eo. maxime. mihi. extollendi. sunt. nomine.

qvod. me. meaque. studia. hætenu. exculta.

sua. in. majus. provehere. Munificentia.

meaque. immerentem. beneficiis. nunquam. non. satis.

laudandis. ornare. haut sint. dignati.

Qvorum. memor.

hoc. qvalecunqve. studiorum. Rostochiensium. monumentum.

Meffis. Academicæ. argumentum.

qvaesitæ. hic. industriæ. documentum.

in. gratissimi. animi. tesseram.

obseqviosi. affectus. indicinam.

ulteriorem. perennantis. favoris. commendationem.

Submissa. qva. par. est. humilitate. humiliqve debitæ. observan-
tiæ. submissione.

inscribere. ac. dedicare. volui. debui.

DE-

DEUM. T. O. M. supplice. voce. veneratus.
Velit. Consilia. Vestra. PATRES. CONSCRIPTI.
fortunare.

qvævis. conamina. prospero. beare successu.
viresqve. largiri. amplissimis. muneribus. suffecturas.
qvo. dulcissima. Patria. diu. tantis. Viris. ceu. fulcris.
atqve. columnis. firmissimis.
innitatur.

&. Vestro. sub. Patrocinio. atqve. umbra. multi.
Clientes. secure. degant.
Inter. qvos.

qvemadmodum. vel. ultimus. esse. discipio.
Sic. promptitudinem. meam. præfenti. hac.

DISSERTATIONE.

ceu. certissimâ. gratitudinis. & observantiae.
declaratione. obsignare.
studeo.

qui. me. ætatem. profiteor.

Mecænatum. Optimorum.
Promotorum. Augustissimorum.
Evergetarum. Benignissimorum.
Patronorum. Colendissimorum.

humillimum. Cultorem. atque
Clientem

HERMANNUM. MÜLLER.
S. S. Theol. Stud.

De
Divino Studii Biblici cum Systema-
tico nexu.

§. I.



Rincipio statim dicendum nobis est, quanquam connexa sint studium Biblicum & Systematicum, longe majorem tamen esse studii Biblici praesystematico necessitatem, i.e. Studium Biblicum omnium aliorum librorum, quantumlibet sanctitate & bonitate eminentium, adeoque & Systematum lectioni preferendum esse. Probatur hoc quatuor argumentorum genere, quorum primum ipsa fundamenti ratio, quae in Scriptura latet, constituit. Nec enim studiosius circa rem ullam architectus, quam circa aedificii fundamentum versatur, quippe cui tota reliqua structura incumbit. Fundamenti vero nomine non tantum basis, quae reliquam molem sustentat, sed solida quarumlibet partium substantia intelligitur, quarum si una vel cariosa fuerit, vel luxata, ceterae facile omnes collabascent. Sicut in aedificio imo quidem lapidi vel columnae omnia innituntur, cetera tamen compages, nisi pariter fuerit consolidata, nisi quaelibet trabs peculiarem suam, tum intra se, tum cum aliis firmitatem habeat & proprium quasi fundamentum, domus nunquam consistet. Ita Theologiæ fundamentum summum & intimum Christus est, recte & salutariter ex verbo cognitus; *Extra hunc aliud ponni nequit*, I Cor. III. ii. sed quicquid de cetero, ut cognitio illa perfecta sit & salutem homini adferat, requiritur, quicquid est extra dogma de Christo ad fidem & salutem cognitu necessarium, quod nempe Articulorum fidei catalogo continetur, catena illa, cujus uno annulo soluto tota

A

labe-

labefactatur, non minorem ex verbo divino soliditatem, quam notitia de Christo, Servatore nostro, habere debet. Qvælibet materia Theologica, qvælibet particula, vel credenda, vel facienda, inniti debet non fragili & ruinoso, sed firmo, stabiliqve fundamento. Id autem aliud non est, nisi indubitatum verbum DEI. Non obscure hoc indigitat Paulus, cum *super ædificati sumus, inquit, super fundamento Apostolorum & Prophetarum, ubi angularis lapis ipse Christus Jesus est. In quo totum ædificium confirmatum crescit in templum sanctum Domino.* Eph. II. 20. 21. Ubi distinctione lapidis angularis & fundamenti non alia est, quam qualem modo significavimus. Rechte enim Ambrosius: *Super ædificati super fundatum Apostolorum & Prophetarum, b. e. super Novum & Vetus Testamentum collocati, cuius scilicet tanquam circulicentrum est Christus; Quod enim Apostoli predicaverunt, Propheta futurum dixerunt.*

§. II. Præterea non fundamenti tantum vicem universo doctrinarum Theologicarum ædificio S. Literæ præbent, sed in se insitam sibi veritatis & sapientiæ munditiam & puritatem ita complectuntur, ut ob immediatum DEI concursum & infallibilem præsentiam erroris periculo non obnoxiae tantum non sint, sed ne quidem obnoxiae esse possint. Quod cum de nullo scripto humano dici queat, quantumlibet sanctitate & pietate præfulgeat, vel ob illam prærogativam, his omnibus Scripturæ letionem præponendam esse evidenter patet. Est nimurum Scriptura fons & scaturigo aquæ vivæ & omni crystallo purioris, in vitam æternam salientis, cui non admistæ sint ullæ lordes, non innexa ulla ullius erroris labes. Quicquid meditationum, scriptorumque inde de promittur, è fonte quasi fluit per canalem. Qui vero per tubos, euri posque ex fonte deducuntur rivi, impuritatis aliquando quippiam contrahere ex vicinæ terræ contagione non est insolens. Quo ad ipsum fontem proprius adscenditur, eo purior plerumque aqua, minusque à proxima tellure

tellure & circum jacente limo, glebisq; infecta deprehenditur. Plane idem de divino verbo dicendum est. Qvod cum ipsa divina sit veritas, originaria illa, casta, inviolata, fallere & falli nescia, qvidni, qvi ejus siti atque desiderio uruntur, primo ad illam & præcipue sese convertant, cum si hinc eandem observato debito ordine hauriant, decipi & abripi in devia atque fecibus lutoque immisceri nequeant? Qvod vero ex hoc fonte deductum, decerptumque est, in eo hominum opera deficere potuit & aberrare, ut adeo eidem, nisi ad primam originem denuo examinatum revocaveris, fidem castitatis integrum & indubitatam non possis adponere. Qvod adeo verum est, ut hanc ipsam ob causam immediate à Spiritu S. excitari, compelli, dirigiri Sancti DEI homines, qvi ideo θύμευσι & à DEO inspirati dicuntur, II Tim. III. 16. & τὸν πνεῦματος ἀγίον Φεύγετοι, acti à Spiritu S. II Petr. I. 21. debuerint, ne si nudo hominum studio commissum hoc scribendi officium fuisset, error forte aut erroris periculum, saltem errandi suspicio, intervenisset. Manet enim illud Psalmis perpetuo verum: *Omnis homo mendax*, Ps. CXVI. ii. Qvod quomodo cunque intelligas, sive de re inani & futili, quo pacto filii hominum mendacium, h.e. res vana & pro nihilo habenda dicuntur, Ps. LXII. 10. sive de propensione fallendi promissa, proximo data, qvi sensus voci ex frequentiori usu proprius est, utrobiique tamen humanæ naturæ summa corruptio & ad errores, sive voluntarios & cum fallendi animo coniunctos, sive præter intentionem intellectui obrepentes, proclivitas simul innuitur. Id enim nisi dicere voluisset David, uni complexui אהָרֶם, omnem hominem (quod non limitante Scriptura ad maximam hominum partem à quibusdam frustra restringitur) non involvisset.

§. III. Veritatis divinæ certitudinem & munditiem virtus & efficacia ejusdem inseqvitur, quæ Scripturæ divino consilio plane singularis & stupenda impressa est, ad animum ho-

minis præter & supra omnem naturam commovendum, immutandum, terrendum, consolandum, informandum. Qualem vim præter Scr. sacram nulli alii scripto competere in confessio est. Qvemadmodum ergo cibi, qvi facultate alendi, nutriendique corpus hominis præ ceteris fortiore prædicti sunt & medicamenta, qvæ virtutem sanandi præ reliquis omnibus valentiorē habent, omnibus aliis merito præferuntur; ita qvis dubitet, qvin & scripture, ob suā & incomparabilem vim, qva pollet, in animos hominum, vel nutriendos vel sanandos, à qva, qvicqvid ceteris libris roboris inest, vitam hominis spiritualem qvacunqve ratione ædificandi, dimanat, primò ante alios omnes loco haberi, atqve adeo, ut vim istam dispensare possit, præ ceteris legi oporteat?

§. IV. Qvibus accedunt frequentissimæ admonitiones & severissima mandata, qvibus ad lectionem S. literarum præteritis qvibusvis scriptis aliis invitamur & propositis præmiis, si jubenti DEO geramus morem, pœnisque, si obseqvium detrectemus, qvasi compellimur. De quo, ut & exemplo Christi & Apostolorum, extra scripturam nihil, vel dicentium, vel laudantium, Theologi passim fusissime egerunt. Si vero ut pari loco humana scripta cum divinis oraculis haberemus, voluissest divina providentia, illa certè non minus, qvam hæc, commendasset, qvod factum non fuisse ipso sensu edocemur. Ratioqve hujus divini consilii in propatulo est, cum scriptura inumeros habeat effectus, qvibus salutis nostræ negotium, sancti imprimis Ministerii opus, ex omni parte promovetur, qvæ nos infra longo ordine ostensis rerum momentis enarratur sumus, qvibus humana scripta vel plane destituuntur, vel eo virtutis gradu ad tantam operam concurrere nequaquam possunt,

§. V. Isthæc equidem argumenta jam olim Theandrum nostrum Lutherum commoverunt, ut utrum sua scripta in publicum

publicum edi permisurus esset, dubitaret, ne novitate eorum,
qua carnis nostræ vitio titillamur & seducimur, ad sectandos
rivulos, contemtis fontibus homines abstraherentur. Verba
præfationis ad primum Tomum Jenensem ita habent: Gern
hätte ichs gesehen / daß meine Bücher währen allesamt dahin-
den bliben / und untergangen / und ist unter andern Uhrsachen
eine / daß mir twol grauet für dem Exempel, denn ich wohl sehe /
was Nußes in der Kirchen geschaffet ist / da man hat ausser und
neben der Heil. Schrift angefangen viel Bücher und grosse Bi-
bliothecken zu samblen / sonderlich ohn allen Unterscheid allerley
Väter / Concilia und Lehrer auffzurufen / dainit nicht allein
die edle Zeit und Studiren in der Schrift versäumet / sondern
auch die reine Erkäntniß Götterliches Wortes endlich verloren
ist / bis die Bibel (wie dem fünfften Buch Mosis geschahe / zur
Zeit Josia des Königes Juda) unter der Banc im Staub ver-
gessen ist.

§. VI. Qvæ tamen universa intelligi aliter, qvam in hunc
sensum haut debent, qvod nulli libri, qvantalibet vel eruditio-
ne, vel sanctitate præcellentes, utcunqve nihil aliud comple-
tantur, qvam qvod S. literis usqveqvaqve conforme est,
ipsis Sacris literis præterri, aut hæ præ illis vel negligi,
vel contemni, verum in illis legendis ad Scripturam semper
recurri atqve ad hanc illi sedulo examinari, utqve sum-
matim dicam, Scriptura ante omnia legendo & relegendo ita
familiaris reddi debeat, ut qvicqvid librorum Ecclesiasticorum
legas, ex qvotidiano scripturæ usu illico judicare, certoqve sta-
tuere qveas, qvid cum divina veritate & pietate conveniat, qvid
ab eadem discrepet, ut adeo illud avidè amplecti, hoc constan-
ter negare possis. Evidens ergo est, ineptè concludi: Scriptu-
ra fundamentum est totius Theologiæ, qvæ & veritatis sum-
mam atqve originariam castitatem & ejus certitudinem plane
divinam, cum maxima persuadendi & commovendi vi in se

primo complectitur: Ergo præter Scripturam Theologo nihil aliud legendum est. Recte autem ita concluditur: Scriptura prærogativæ illas & nobilitates $\pi\gamma\epsilon\zeta\chi\eta$ sibi proprias & nationes possidet: Ergo in legendis nihil ipsi præponi, omnia cetera ei subjici, interque ea, quod optimum est & Scripturæ consentaneum, eligi debet. Ita omnino intellexisse Lutherum, ea, quæ verba modo adducta insequuntur, docebunt. Und wiewohl es nützlich und nohtig ist / daß etlicher Väter und Concilien Schrifft blieben sind als Zeugen und Historien / so dencke ich doch / est modus in rebus und sey nicht Schade / daß vieler Väter und Concilien Bücher durch Gottes Gnade sind untergangen / dann wo sie alle hätten sollen bleiben ; sollte wol niemand wieder ein noch aus gehen können für den Büchern und würdens doch nicht besser gemacht haben / denn man in der Schrifft findet. Auch ist diß unser Meinung gewest / da wir die Bibel selbst zu verdeutschen anfingen / daß wir hofften/ es soll des Schreibens weniger und des Studirens und Lesens in der Schrifft mehr werden. Denn auch alles ander Schreiben in und zu der Schrifft/wie Johannes zu Christo weisen soll / wie er spricht: Ich muß abnehmen / dieser muß zunehmen / damit ein jeglicher selbst möchte aus der frischen Quelle trincken / wie alle Väter / so etwas gutes haben wollen machen / haben thun müssen. Si vero Lutherus reliquos præter Scripturam libros plane rejiciendos, ut S. Scriptura sola legeretur , aut certe eos , vel inutiles esse, vel non necessarios , judicasset, primo omnium , quod vero minime fecit , à scribendo ei abstinentium, deinde abolenda, quæ jam scripta erant , quæ vero postea plurimis auxit, fuissent.

§. VII. Nec etiam de cetero quisquam , qui Theologiæ cultores ab inordinata Scriptorum Ecclesiasticorum lectione ad lectionem sacrarum literarum revocavit, ideo omnes piorum & doctorum virorum labores , ne una cum Scriptura legeren-

gerentur, ex Ecclesia eliminare intendit. Qvi enim plures libros sive ad homiliarum publicarum exercitium, sive ad praxi veri Christianismi facientes, sive veritatem adversus adversarios defendantes, sive doctrinam Christianam facili & perspicua methodo inclusam, vel rudi populo, vel provectionibus proponentes, unquam exarare aut edere in lucem consueverunt, quam si ipsi, qvi à lectione Ecclesiasticorum scriptorum abductos Scripturarum lectioni restituere annuntiuntur? Aut itaque desinant scribere ipsi, ut lectionis honor penes solam Scripturam maneat, aut aliorum laboribus, qvi idem, tametsi alia forte methodo, faciunt, non invideant. Nec enim quisquis scribit, alio fine scribit, quam, ut legatur. Igitur aut hoc tantum volent: non ita legenda esse hominum opera, ut majori sedulitate & religione non sint legenda Biblia, (id certe id ipsum est, quod in toto hoc capite demonstramus) aut aliorum circa res sacras commentationes, vel sacris literis non ita esse, ut ipsorum, consentaneas, vel ad pietatem & Christianarum virtutum exercitium non æque comparatas. Quo pacto, quod de scriptis humanis universim ab ipsis dicitur, ut omnis errandi occasio præcideretur, merito ad talia vel talia restringi deberet.

§. VIII. Sed vero proprius introspectiendum in hoc nobis argumentum, ostendendumque adeo, S. literarum lectionem aliorum librorum sacrorum, utpote Compendiorum Theologiae, Systematum, Disputationum, Meditationum, Commentationum sacrarum, lectionem non absorbere, ut potius ex Natura sua illam requirat, nec sine ejusmodi scientiae Theologicae subsidiis Biblica lectio prompte feliciterque possit institui. In memoriam itaque revocandum nobis est, non dedisse tantum nobis Optimum Maximumque Numen verbum suum, ut esset lumen semitis nostris, quando ex calamitoso hoc mundo ad æternas illas in cœlo sedes proficiemur, sed ordinasse simul & insti-

instituisse sacrum verbi sui Ministerium , hunc ipsum in finem,
ut illud verbum suum proponeret , tractaret , interpretaretur,
a falsis glossis defendeteret , deduceretque postremo ad praxin.
Dedit enim Christus, in cœlos adscendens, *alios quidem Apostolos,*
alios vero Prophetas, alios autem Evangelistas, alios Pastores &
doctores, ad compunctionem sanctorum, ad opus Ministerii, ad edificationem corporis Christi. Donec perveniamus nos omnes in unitatem fidei & agnitionis filii DEI, in virum adultum ad mensuram plena stature Christi. Ut ne simus amplius pueri , qui fluctuamus & circumferamur quovis vento doctrine, in versutia hominum, qui per astutiam suam secomponunt, ut fallant, sed sincere nos gentes in charitate prorsus adolescamus in eum, qui est caput, nempe Christus. Ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum per omnes commissuras, secundum donum, quod datum est in mensura unicuique membro ad incrementum ipsius corporis, ut per charitatem perficiatur edificium ejus. Eph. IV. ii. seqq. Non ergo solam Sacrarum literarum lectionem sufficere ad perfectionem corporis Christi, i. e. Ecclesiæ, omniumque in ea fidelium censuit divina sapientia , sed Ministerium verbi, ἐπηρεαστικῆς addidit, ut per prædicationem verbi primo colligamus credentes in unum cœtum, qui est ὁ καπετοῦ μὸς τῶν ἀγίων & τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, perfecta coalitio sanctorum & ipsum corpus Christi; deinde , ut hic cœtus ædificetur, i. e. singula ejus membra ad unitatem fidei & agnitionis Filii DEI salutaris adducantur, ut nec in veritate fluctuent amplius, nec in charitate deficiant, sed ad summum, quod in hac infirmitate fieri potest, veri Christianismi fastigium evalescant. Hos tantos effectus palam est, non nuda S. Literarum prælectione produci, sed in ipsa Scriptura plures, circa quas Ministerium in tractando verbo versatur, actus, qui tamen non sunt nuda lectio, recensiendi utpote Sacrarum Literarum interpretationem, (nec enim vel Christus, vel Apostoli ipsi mera Vet. Testamenti verba, cum pra-

prædicarent , prælegebant , sed eorundem verum sensum ex virtute verborum & contextus consideratione elicatum una cum doctrinis , in hoc sensu latentibus , inculcabant) Scripturæ item ordinatam & intellectu facilern atque ad auditorum accommodatam propositionem , (qvid enim est διδαχὴ τοῦ Ιησοῦ , ad docendum instrūctum esse , I Tim. III. 2. & ὁ Γερμῆνυς τὸν Λόγον τῆς ἀληθίας , rite tractare verbum veritatis , II Tim. II. 15. ut recte & ex perpetuo verbi uero convertit Vulgatus , nisi ordine decenti & ad ædificandum apto verbum proponere ? Unde & verbi divini Prædicatores , qvos Concionatores vulgo vocamus , Tractatores antiquis dictos esse , Cl. Espenæus ad h. l. observat .) porro errorum , cum verbo DEI pugnantium refutationem (debet enim Theologus tenaciter adbarere verbo , quoad doctrinam exinde deductam , ut facultatem ex ejus lectione sibi acquirat & exhortandi alios in sana doctrina , ut eandem vel amplectantur , vel in eadem perseverent , & eos , qui eidem se opponunt , refellendi , Tit. I. 9.) tum severam à vitiis dehortationem , admonitionem ad omnis generis virtutes , consolationem denique in adversitatibus omnimodam . Qvæ omnia vocibus Ministrorum & Oeconomorum signanter expressit Paulus , I. Cor. IV. 1. Ut enim Oeconomus leges heri sui domesticis non prælegit tantum & eorum notitiæ insinuat , sed ubi necesse est , interpretatur atque ad facta singularia , sive ad incutiendum male agentibus metum , sive faciendam bonis spem applicat : Ita Ecclesiæ Minister divini verbi non lector tantum est , sed & interpres . Qvæ illud totidem literis syllabisque non enunciat & intra virtutem tamen suam complectitur , is eruit , erudiendi cupidum informat , increpat securum in peccatis , ostenta iræ divinæ severitate , qvam involutus peccatorum caligini haetenus non viderat , in virtutis studio strenue currentem confortat , nutantem confiram ,

B

mat,

mat, lapsumque erigit. Omnia haec facit virtute verbi divini, sed facit tamen; nec enim ipse ideo otiosus est, quia Spiritus per verbum in ipso operatur. Nec etiam ideo efficit per ipsum non est Spiritus, quia S. Literas non praedit tantum, sed tractat. Et quanquam tractatio S. literarum non sint ipsae sacræ literæ, sed quantum ad ordinem, quem in tractando tractator observat, & verba, quibus tractationem suam connectit & ornat, & consecutionis vim, quam ex verbo ad oculum ostendit, & applicationem, quam ad negotia præsentia facit, aliquid ab iis diversum, tamen, quia Spiritus in Scriptura loquens & per Scripturam agens, cum his Ministri actionibus, si à regula verbi divini non deflectant, intime penitissimeque conjunctus est, eandem numero in se efficaciam & S. literæ ipsæ & S. literarum tractatio continent. Nec S. literarum lectionem à S. Ministerii actionibus abstractam, h.e. talem, quæ han omnino excludat, aut plane contemnat, aut saltem minus utilem & necessariam judicet, sine redundante in Deum, Ministerium ad tractationem verbi constituentem, injuria vel fingere licet, nedum commendare. Jam vero S. literarum tractatio, quæ à doctore suomet ore instituitur & quæ perficitur calamo s. scripto, una sunt eademque actio. Accidente tantum ab in vicem differunt. A Christo equidem Ecclesiæ Ministerio ædificatio & consummatio corporis sui, quod est Ecclesia, commissa est, modus tamen, quo fieri illud debeat, in libertate Ministri est relictus. Cumque is modus, qui scripto fit, & accuratior plerumque sit, quippe ex solidiore meditatione proveniens, & in plures tele faciliter diffundat & denique diutius perennet, quam, quem loquela tantum repræsentat, eum maxime decere Academiæ doctorem, qui plurimis docendis destinatus est, ex se intelligitur. Ex quibus sole meridiano clarus est, quanquam sacrarum literarum lectio omnibus scriptis Theologicis summo

mo juré præferenda sit; non tamen ita commendari debere aut posse, ut ideo illa ex manibus studiosorum plane excutiantur, sed è contra ita laudandam esse S. literarum lectionem, ut cum ea conjungi debere, si fructuosa esse debeat & felices successus habere, Theologicorum scriptorum, utpote expositionum S. Scripturæ, Compendiorum & Systematum Theologiaræ, Disputationum cum adversariis, certaminum Ecclesiæ aliorumque id genus lectionem, nullatenus sit inficiandum.

§. IX. Deinde perpendendum nobis est, qvicqvid nobilitatis & excellentiæ S. Scripturæ competit, id vim suam non nisi intra certum ordinem exerere. Nec enim vel vi qvadam absoluta Scripturæ verba significant, sed necesse est, ut legendi facultatem habeas, si intelligere verba velis; vel eadem illa vi intellectum ad assentiendum & voluntatem ad amplectendum commovent, sed necessum est, ut ex verbis intellectis rem ipsam s. doctrinam, per verba notatam, mente recordas, mysteriorum majestatem admireris, sanctitatem, à te reqvisitam, quasi degustes, id est, rerum revelatarum veritatem, bonitatem, jucunditatem, utilitatem apprehendas, consideres, cum rebus qvibusvis aliis, eandem nobilitatem præferentibus, conferas, eminentiam præ illis & soliditatem agnoscas. Non illabitur Spiritus S. in legentis mentem, si nuda verba legat, & ne qvidem sensum capiat. Non ineft Scripturæ vis talis Magica & irresistibilis, ut Barbaro cum Scholaisticis termino utamur, ut ne qvidem intercedente ullo hominis studio in animum operetur. Qvod de vaticiniis Propheticis dixit Servator noster, id de omni Scriptura verum est: ὁ ἀναγνώσκων νοέτω, qui legit intelligat, Matth. XXIV. 15. Emphasim hujus sententiaæ nemo curatus D. Danhauero expressit, cujus integra adducam verba: Was soll man nun mit den Worten der Schrifft thun. Soll mans ansehen/ wie eine Kuhe ein neu Thor? Oder wie ein

Bauer die schwarzen Furchen im weissen Felde ? Ohne Ver-
stand hin ? O Nein ! *νοίτω*, er mercke darauf. Er lese es
mit devotion, Andacht und Verstand ; zuvorderst die Histori
und derselben Umstände / die Wort und derselben emphasio,
Krafft und Saft und das Prophetische Treuflie. Wie
man nun guttatum und zart mit kostlichen gebranten distil-
lirten Wassern gar accurat genau und sparsam umbgehet /
sie nicht verschüttet / sondern wohl und sauberlich tractiret :
Also wollen auch die *λόγια οὐρανοῦ*, die Worte Gottes tractiret
werden / zart / sauberlich / sparsam und Tropffen weise. *Ἐπι-*
νοίτω Er untermercke / welches unter dem *νοίτω* begriffen ; Er
mercke auch / das darunter verborgen liegt / nicht nur die Hi-
stori / sondern auch das Geheimniß / den Kern und Stern.
Er forsche in der Schrifft / wie Christus vermahnet / *Ἐπι-*
πλῶς ἀλλὰ μετ' αὐξίσαι, scharff und tieffinnig / wie Chry-
sostomus ad Aet. XVII. II. erfodert. Mit was Fleiß ein Jä-
ger das Wild in denen Wäldern und Löchern aufspürt und
forschet / mit solcher Angelegenheit soll auch die Schrifft er-
suchet werden. Mit was Eyfer ein Berg-Knap forschet /
gräbet und grübelt in denen viseribus terræ in denen Grüst-
ten und Klüfften der Erden / biß er ein Gold-Ader antrifft :
Also sollen wir mit gleichen Fleiß / das beste und feinste Gold /
den edelsten Schatz unserer Seelen forschen und zu wegen brin-
gen. Auch mit was Ernst / Eyfer und Fleiß der Perlen-Fi-
scher denen edlen Perlen nachtrachtet und sie sucht. Nun ist
Christus das Evangelische Perlein / kostlicher als das Perlein
Cleopatræ, der Königin in Ägypten, so von denen Orientali-
schen Königen auf sie geerbet worden / darumb wir ihne mit
allem Ernst suchen und darnach trachten sollen. *Διανοίτω* Er
nachmercke. Wenn ers gefunden / so laß Er auch das Nach-
mercken bei ihm erscheinen / sauge / schöpfe / melcke / eliqvire
und distillire auf dem Geheimniß heilsame Seeten-Speise
und

und Arthener · Kräften für seine Seele und mache es sich recht
zu Nutz / daß das Wort Gottes kein todter Buchstabe seye /
sondern in ihm lebe / sein Kraft und Schein verbringe. (a)
Itaque ut in cortice non hæreas , sed ad nucleus penetres,
nec minorem ac ii , quos informaturus aliquando es de
rebus sacris , sed nixam suis fundamentis , solidamque sci-
entiam conseqvaris , primo quid in Scriptura loqvatur Deus,
intelligendum est. Id sine percepta verborum significatio-
ne fieri nequit. Quanquam vero hanc verborum vim, ve ex
usu quotidiano , vel aliunde comparare tibi queas, stolidus ta-
men sis, si longis te tœdiis maceres, cum in Grammaticis & Lexi-
cis & Concordantiis summa facilitate & remota omni ambage
verborum tibi acquirere notitiam in promptu sit. Non itaque
quia Scripturæ tanta dignitas est , ut & omnis sapientiæ origo
sit & vim de se infallibilem ad commovendos hominum ani-
mos diffundat atq; adeo ejus lectio libris aliis omnibus præfe-
renda, abjicienda aut dissimilanda sunt grammatica illa , quæ
ad lectorum intelligentiam primam expeditamque vi-
am aperiunt , instrumenta. Imo , quia vocum significatio
sine illis difficulter cognoscitur , ut & Scripturæ voces prom-
tius intelligas , non obstante illius interna vi & efficacia,
quædam necessitate erunt adhibenda. Deinde quem sensum
habeant verba , de quorum significatis jam tibi constat ,
laborandum est. Nec enim nuda verborum significatio sen-
sum illicè loci constituit. Quanquam vero & hanc ex totius
contextus consideratione , locisque aliis , vel in Phraseologia
vel in argumento parallelis , industriis ingenii & longo u-
su subactis venari liceat , quantum tamen ea in re , si omni-
bus destituaris subsidiis , difficultatis interveniat , vel solus
Æthiopissæ cubicularius docuerit , qui interrogatus à Phi-
lippo , an , quæ in Esaia legerit , intelligeret? Et quomodo pos-
sum,

B 3

(a) Memor, Ev. p. 866.

sum, ait, nisi qvis viam mihi intelligendi ostenderit? A&t.
IIX. 31. Non qvod plane sine doctore sacra intelligi ne-
queant; qvis enim primo doctori, nisi ipsa exercitatio, col-
latio, consideratio, verborum sensum ostendit? sed qvod
non sine singulari cura & labore. Cum vero jam sunt, qvi
locorum difficilium interpretationem nobis praeiverunt, ig-
navi pariter ingratique simus, si hos Philippo spernamus,
qvorum adminiculo finem nostrum, quem vel ob ingenii,
vel temporis, vel quascunqve alias rationes sero & difficil-
limè obtineremus, & facillime & cum summa voluptate
nostra, postquam DEUS per alios jam viam nobis præ-
monstravit, asseqvi possumus. Non itaque, qvia Scriptura
incredibilem in se habet docendi & persuadendi virtutem, a-
deoqve ceteris scriptis omnibus præhabenda est, deterrendi
sunt Scripturarum lectors a piorum, doctorumqve vi-
rorum commentariis, qvin hi tanquam singulare DEI be-
neficium & medium ad sensus divini certitudinem facilius
perveniendi, aestimandi, laudandiqve sunt. Porro ubi de
sensu liquet, doctrina, ex sensu promanans, constituenda
est. Fieri enim potest, ut de sensu haut dubitetur, & ta-
men id, qvod in sensu latet, non animadvertisatur. Quem-
admodum Sadducæi legerant, DEum esse DEum Abrahami,
Isaaci & Jacobi, nec tamen mortuorum hinc resurrectionem
comprobari intellexerant. Cum igitur, qvo pacto doctri-
næ salutares, vel ad fidei nostræ substantiam, vel ad robur e-
jus facientes, longa S. literarum exercitatione deprehensæ
tuerint, Theologiae Compendia & Systemata ob oculos po-
nant, cur non hoc potius præsidio sancta religionis nostræ
dogmata cognoscendi utaris, quam, ut longo labore in iis-
dem eruendis defatigeris, cum tempus, qvod ea ratione lu-
craris, & inventorum confirmationi & fidei tuæ incremen-
to utiliter possis adhibere? Atqve ita & plane res sese habet
cum

cum dogmatum semel constitutorum, adversus cœlestis veritatis depravatores defensione. Ubiqve fundamenta, quibus iisdem obviam eatur, illorumque tela retundantur, subministrat Scriptura. Nullibi latus, ut ita loquamur, hosti nudum ostendit. Sed cum ii, qui in polemicis, ut vocant, occupati fuerunt, quo pacto bella Domini feliciter gerenda sint, ex S. Literarum usu enucleatè ostenderint, cur hanc operam vere divinam non commendemus potius, quam traducamus? Non derogant ista universa S. Literarum Divinæ efficaciæ, quippe, quæ ordinata est, nec immediate, sed per media agit. Nec media ista à Scriptura, aut Spiritu, per Scripturas agente, avulsa, sed eidem intime innexa sunt atqve adeo eâdem cum Scriptura virtute gaudent. Ut Syllogismus materiæ, quam complectitur, nihil addit, nec eandem ullo modo immutat, sed disponit tantum, ut materiæ vel affectiones vel vires luculentius appareant; ita ordo ille, quibus res in Scriptura contentæ circumdantur, ut modo sub Compendiorum, modo sub Disputationum, modo sub commentationum, aliaqve forma appareant, res ipsas non mutant, sed vim tantum in iis latenter evidenter ab oculos fistunt. Qvod de Ecclesia quondam edixit Cyprianus, id & de verbo divino quodammodo potest enunciari: *Verbum DEI unum est, quod tractationis diversitate in multitudinem latius incremento fæcunditatis extenditur.* Quo modo solis multi radii, sed robur unum, tenaci radice fundatum & cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copia largitate, unitas tamen servatur in origine. (b.)

§. X. Præterea, ut in Ecclesiæ ritibus libertatem concessit Christus ordinandi id, quod Ecclesiæ decoro & ornamento conveniens esset; sufficere enim arbitratus est dixisse:

Omnis

(b) De unitate Ecclesiæ Cap. IV.

omnia inter vos fiant ordine & decenter. I. Cor. XIV. 40. Ita
& in tradenda atque comprehendenda cælestis doctrinæ sum-
ma nulli methodo Ecclesiam suam adstrinxit, sed in quem
ordinem credenda, ex S. literis collecta, dirigere, in quam
scientiæ vel disciplinæ formam, ut memoriae & judicio di-
scientium consuleret, conjungere vellet, Ecclesiæ arbitrio
reliquit; dummodo illa *τάξιν καὶ συγχρηματίνην*, ad *εὐδόκιμην πα-
τίου, quam destructionem* facientem, II. Cor. X. 8. observaret.
Nec in ipsa voluntatis suæ revelatione unum modum, ordi-
nemque divina sapientia tenuit, dum alia historico, alia dogma-
tico, alia parænetico schemati circumdedit, ut tamen sub uni-
versis istis eadem mysteriorum divinorum institutio latitaret.
Qvis vero dubitet, vetustissimos mortalium, quid de DEO,
rebusque divinis credendum esset, quid faciendum homini,
ut DEO suo placeret, nec ad iram eundem proritaret, in
compendio quodam, certis capitibus comprehenso, ne vaga
de iis narratio memoriam confunderet, aut res semel audi-
ta in facilem iterum oblivionem diffueret, excerptum ex
eo, quod pro tempore revelatum fuerat, verbo proposu-
isse? Non credo ex Judæis primum R. Mosen Maimonidem
fuisse, qui divina præcepta in יסורי התורה, certa legis funda-
menta digessit, quod libro ראש אמנה, Caput fidei dicto, de eo
pronunciat R. Isaacus Abravenel, quem postea imitatus R.
Chasdai אור אהרון lumen Domini, R. Joseph Albo, עקרות.
radices fidei exaravit, eidem instituto inservientes: si quidem
quod vult Abarbenel, (c) intentio ejus fuit, dirigere homines,
qui non sunt solide fundati in scientia legis, nec didicerunt,
aut operam dederunt, quantum illis necesse erat. Ut adeo, quia
illi non possunt aseqvi aut comprehendere omnia fidei dogmata
& scientias, quas lex divina continet, hinc selegerit Rab ex o-
mnibus fidei dogmatibus istos Articulos magis generales, ut com-
pendiose

(c) De C. F. o. XXXIII. p. 209. ex ed. Gvili, Verl. 18.

pendiose doceret ista, quæ habent ceteræ doctrinæ omnes. An enim ante Maimonidem homines simplices & rudes non dirigi fuerant ad qualemcumque legis fidei que scientiam? An non & tum occurrentum fuerat hominum infirmitati, quod totam legem comprehendere non poterant, ut saltem præcipuum non essent expertes? Aut quia ante Maimonidem homines plebeji totam legem scire non poterant, singularum ejus partium fuerunt ignari? Bruta dixeris hos tales, non homines. Qvod si ante Maimonidem, cuius ex mente **היסורי** s. **fundamenta** ista prima, potius **ראשי** seu **רashi** & principia totius scientiæ Theologicæ fuerant, ex quibus cætera omnia tanquam conclusiones deduci poterant, (quicquid hic contra sentiat disputetq; Abarbenel) talis rudimentorum forma nullibi extitit, ex tota tamen Scriptura selectiores **פכויק** *versus* **sententiae**, præcipuas in se fidei morumque doctrinas continentis, catecheseos ad instar, juventuti fuerunt propositæ, donec ad lectionem totius Scripturæ adducerentur. Et quanquam qui aliorum apud Judæos olim futuri erant Doctores, primitus forte sola scripturarum, eaque freqventi & attenta lectione, sacrorum sibi notitiam quæsiverint, postquam tam ad hos libros vel **הרゴמי**, *interpretationes*, vel **כיאורי**, *elucidationes*, vel **פירושי**, *commentationes*, vel **חכורי**, *compositiones*, compendia item & Systemata Theologiæ vel Scripturariæ vel Talmudicæ, qualia sunt **ראשית חכמתן הארונות** וְהַקְצָרָה *Hodo sophia magna & parva*, *liber traditio num*, **יד חזקיה**, *manus fortis*; denique disputationes adversus adversarios, **נצחון**, *victoria*, **סלחנות יהוה**, *bellorum Domini*, similibusque titulis insignes, aliaque id genus accesserunt, quis unquam Judæorum, quod tamen legis suæ ad miraculosam usque religionem observantes semper extiterunt, tam superstitosus fuit, ut ob Scripturæ ipsius eminentiam Isagogicis his libris utili renueret? Ita & Christianorum libris sacri, quocunque illi nomine

C

mine

mine veniant, eas divitias, quas sacer codex comple&titur in-
exhaustas, in partes quasi & areolas, ut mentis oculis separa-
tim prestatæ facilius pateant, distribuunt, nec quicquam in se
aliud, quam ipsam Scripturam, certo ordini attemperatam,
quæ ubicunqve est, Scriptura est, & quocunqve Schemate
proponitur, nativam efficaciam retinet, comprehendunt, eoq;
ipso, quia ad eam solam ubique provocant, ad Scripturam
unice ducunt, eamque in origine legere jubent & proprius ex-
pendere. Non inepte, puto, judicavit, qui Theologiæ cul-
tores à Compendiis & Systematibus ad solorum Bibliorum le-
ctionem ablegantes iis comparavit, qui domos ædificaturis
consulunt, ne ligna trabesque à magistro jam dispositas adhi-
beant, sed sylvam ingressi arbores ipsi, quam artem tamen
nondum didicerunt, eliant, cædant, confiant. Causas eqvi-
dem sanctissimas habuit divinus Spiritus; quod plerosque li-
bros Biblicos populari differendi genere, nec observato certo
dogmatum ordine, exarari fecerit, sed ideo nec nobis liberta-
tem ademit, dispersos hinc inde in Scriptura doctrinarum ti-
gnos in ordinatum ædificium congerendi, aut si ab aliis id fa-
ctum fuerit, illa opera fructuose utendi. Præcipue cum Christia-
norum, tum veterum, tum recentiorum consensu id institu-
tum inæstimabilem semper in Ecclesiam diffuderit utilitatem.
Ordo quarumlibet rerum quasi anima est, qui in docendo Ec-
clesiæ tam est necessarius, quam in agendo, quamquam utro-
bique à DEI Spiritu non determinatus.

§. XI. Sapienter itaqve D. Dav. Chytraeus noster, post-
quam in consilio de studio Theologiæ recte inchoando monu-
isset: primam discentis post precationem curam esse debere, ut tex-
tum Bibliorum sibi familiariter notum reddat, eaque in re tres
scopos habeat in conspectu; primum ut historias sacras animis in-
figat, que cum natura capiant animos & delectent, facilime à te-
neris mentibus retineri possint. Deinde ut sententias insignio-
res

res, seu testimonia de singulis fidei Christianæ articulis & refutationibus errorum consideret, easque ad suos locos communes, qui doctrine summam continent, apte referat. Tertio ut in sententiis insignibus, iis præcipue, qui summam Evangelii continent, singulorum verborum emphases, & pondera diligenter & attente consideret & expendat; tum notanter subjungit: proximum est, ut summam & velut corpus integrum veræ de DEO doctrine coagmentatum ex præcipuis membris, seu locis certo ordine distributis & perspicua oratione explicatis, animo infigant. Cujus rei necessitatem ex analogia cum artibus humanis, partim Apostoli autoritate comprobatur: Ut enim, inquit, Polybius in lectione historiarum jubet σωματικὸν & in omnibus aliis artibus initio summa rei in compendium & methodum contracta traditur: Ita maxime in Theologia methodus σωματεῖδις, seu, ut Paulina voce utar ἵστορικος, b. e. certa forma & summa veræ doctrine junioribus proponenda est, ad quam omnes Sacrae Scripturæ partes dexterè referant & quæ mentes eorum veris & proprie ac perspicue expositis sententiis de omnibus fidei Articulis instruat & in omnibus controversiis ac disputationibus judicii norma sit. Quales doctrinæ Christianæ typos fuisse olim ait Conciliorum Symbola, Origenis libros de Elementis doctrinæ Christianæ, Damasceni opus de orthodoxa fide, aliaqve. (d)

§. XII. Palam ergo ex his est, Compendia & Systemata Theologica, quæ inter se haut aliter differunt, quam quod illa thesin Christianam ex Scriptura proponunt, firmantque, hæc ex iisdem pariter atque antiquitate & sana ratione illustrant, rejecta, refutataque sententia, quæ thesi Scripturæ adversa est, adeo è divino consilio de salute nostra per lacrum Ministerium procuranda, aliena non esse, ut potius tanquam actus effectusque Ministerii proprius, ad instillandam Divinæ religionis sapientiam animique pietatem,

tem, ob ordinis pulchritudinem, perquam accommodatus, cuius una & princeps intentio sit, ad Scripturæ ipsius lectionem adducere, locaque ejus præcipua illustrare, sint respicienda, interque beneficia DEI inestimabilia ponenda. Qvod si occasionem multi Theologiæ cultorum ex his vel compendiis vel systematibus vel quibusvis libris Theologicis aliis arripiant, Scripturæ lectionem negligendi, id plane per accidens esse quilibet videt, neque magis imputari hunc eventum libris in se optimis landatissimisque posse, quam si ex lectione librorum Postillatoriorum, itemque ex libellis precum & meditationum spiritualium, imo ex quotidianis homiliis e suggestu habitis, aliisque Ministerii actibus, anlam quis hominum vulgarium decerpere vellet, nihil unquam legendi, quippe cujus vicem subeant & Postillæ & libri spirituales & conciones Sacræ & conversatio cum Pastore. Imo quemadmodum & conciones ex instituto Divino sunt audiendæ & occasio nulla in Christianismo ex libris Spiritualibus colloquiisque cum piis hominibus instituendis, proficiendi negligenda & tamen ideo seponenda non est Scriptura, sed quotidie nihilominus præ illis omnibus versanda, scrutandumque, *an res ita se babeat*, ut vel in libris legitur, vel ex pulpito prædicatur, vel in colloquiis differitur, Actor. XVII. II. ita & Theologiæ studio compendia Theologiæ & Systemata, tanquam muti Doctores, seu eorundem potius quasi e cathedra voces, legendo audienda sunt, & tamen ad sacrarum literarum lectionem perpetuo, tanquam ad fontem recurrentem, videndumque, an cum Scriptura convenient, quæ ex eadem hausta esse præferunt?

§. XIII. Aliud est, cum vel de ordine quæritur, qui in legendis Compendiis & Systematibus à Theologiæ Cultore observari debeat, vel de operibus ipsis eorundemque ad invicem comparatione, quæ Compendia vel Systemata meliora sint,

1.170.4 (b)

sint , cæterisqve præferenda ? Ubi ea insania Theologiæ in
Academiis Professoribus affricanda non est , ac si qvibuslibet
Theologiæ tyronibus , qvi vix primis labris sanctæ artis ele-
menta degustant , lectionem svadeant maximorum Systema-
tum . Qvis enim ignorat à facilioribus & intellectui magis
perviis , i. e. Theologiæ compendiis capiendum esse studio-
rum Theologicorum principium ? Qva de re qvo minus du-
bitari qveat , ii Theologi effecerunt , qvi Theologiæ metho-
dos ediderunt in publicum . Non est qvisqvam , qvin non
salutare tantum , sed necessarium esse sentiat , ut qvisqvis The-
ologiæ le studio consecravit , exculto per Philosophiam qua-
litercunqve ingenio , mature bono solidoqve Compendio se-
se addicat , qvod non legere tantum diu noctuqve , sed si fieri
possit , imprimere memoriæ , locaqve Scripturæ , pro con-
firmandis fidei morumqve dogmatis allata evolvere , in toto
contextu considerare & qvo nervo concludant , dispicere , eo-
qve , tanqvam manuali suo , per omne vitæ tempus uti qveat .
Qvod si ultra vulgarem sortem producere studia sua haut qve-
at , sufficerit hoc , addita qvalicunqve adversariorum , qvos
inter maxime vivimus , cognitione , continua & indefessa o-
pera ita fecisse , ut Biblico studio juxta Compendium suum
Thetico Antitheticum , quale e. gr. sunt , Institutiones Die-
terici , Theologia Positivo Polemica Kromayeri , vel similes
se totum dedat , & in illo potius , qvam libris qvibuscunqve
aliis , in qvibus vagetur potius , qvam habitet , brevissimum ,
qvod concessum ipsi est , tempus consumat . Qvo tamen ipso
plurimorum ignaviæ , qvi & tempus & sumptus in Academiis
commorandi deesse sibi fingunt , pulvinaria substernenda non
sunt . Inculcandum potius , ut qvo usqve possunt , enitantur ;
ignari qvippe , ad qvod eos officium DEus aliquando misurus
sit & qvì in isthoc officio five circa conservandam doctrinæ
puritatem five revocandos à lapsu errantes , five liberandos à

conscientiæ scrupulis dubitantes, oborturi sint casus. Expendant itaqve, in qvas animi anxietates semet ipsos sint conjecturi, si tum imparati à necessariis præsidiis in qvacunqve re deficiant, in qva animæ suæ periculum adire qvisqvam auditorum suorum possit. Tum ipsum & se accusaturum esse de torpore , nunquam amplius ulla pœnitentia eluendo, tum Præceptorum suum de infidelitate, si is officium admnendo facere neglexerit. Non vero in tuto ipsum fore, si nudæ & ab omni apparatu vacuæ Bibliorum lectioni confidere velit ; nec enim eandem violento qvodam motu miraculoſe & eo momento , qvo instituitur, vim suam exerere. Necessum esse, ut legitimo modo tractetur , ut media omnia, qvæ ad intelligendum faciunt , conferantur. Adversarios non unius generis esse , in iis læpe motus ciere , de qvibus minime unqvam cogitaveras. Nec hoc fieri tantum in indaganda veritate , sed & in moribus informandis. Nihil itaqve instrumentorum, qvibus hæc olim tela repelli queant , parvi faciendum, aut , ut minus necessarium , prætereundum. Hæc talia, si etiam qvibusvis Theologiæ cultoribus bonus fidusqve Doctor occinat, non apparet, qvi pecet. Qvomodo etiam reprehendi poterit, si svadeat, ut qvibus domesticarum facultatum ratio moram in Academiis vivendi non concedit, perfectum tamen totius Theologiæ Systema sibi comparent , non tam , ut totum perlegant, qvam ut postea in officio publico constituti in argumentis sibi qvacunqve occasione obviis evolvant, ejusqve usu in futuro Ministerio scientiæ Theologicæ, haetenus ex compendiis , cum S. Scriptura sedulo collatis, acquisitæ, pondus adjiciant & incrementum ? Cum enim in singulis argumentis probatos suæ Bibliothecæ inserere autores haut possint, omnium locum commodissime explebit systema, argumentorum qvandam universitatem continens , non proletaria opera

opera pertractatam. Longe vero magis in hos similesque
se diffundere libros ei conveniet , qvi Theologicum studi-
um ad ulteriorem perfectionem deducturus est. Plane his
consona sunt , qvæ communis Antecessor noster , *D. Dav. Chy-
traus* , Theologiæ studioſo præscripsit , cujus aliquā jam su-
pra adduximus , jam ex eodem loco sequentia , qvanq;am
prolixiora libentissime addemus. *Quare* , inquit , *adolescen-
tes hōbor* , ut quotidie *absoluta lectione textus Bibliorum aliq;id
temporis vel examini , vel Loci* , (sunt hi Loci *Pbilippi Melanch-
thonis* , à *Martino Chemnitio* postea commentario illustrati , qvi
tum Compendii Theologici in plerisque scholis vicem sub-
ibant) *ordine perlegendis tribuant* , eosque tantisper perlegant &
relegant , donec & omnes eorum sententias de singulis doctrinæ
articulis , ut digitos ac ungues suos norint , & sermonis proprie-
tatem ac perspicuitatem ipsorum quaque oratio aliqua ex parte
referat ac redoleat. Nec interea se plurium librorum Theologi-
corum lectione onerent , sed Plinianum illud in conspectu habe-
ant , qvod monet , non multa legenda esse sed multum. Disfra-
bitur enim animus varietate autorum , ac ut planta , qbo s̄epius
transfertur , eo minus succi ac roboris ex terra attrahit : ita extu-
multuaria & varia lectione , nec sententia nec verba autorum in
animis h̄erent atque insident , nec qvicquam perfecti & solidi pot-
est addisci. Nihil igitur dubitans , confirmare ausim , ingredi-
entes studium Theologiae multo ubiores fructus vera pietatis &
eruditioñis ex textus S. Scripturae & unius libri locorum Theologi-
corum affiduale lectione & relectione , cum quotidianis exercitiis pa-
nitentiae & invocationis conjuncto , percepturos esse , quam si interea
per magnam varietatem omnis generis scriptorum vagaren-
tur. Qvæ tamen suo tempore & loco , ut infra monebimus , co-
gnita jam & infixa mentibus vera doctrinæ summa , ab iis , qui
ex professo Theologi nomen munusque tueri volent , non negligēn-
da sunt. Nam quæ hactenus de sacris libris & summa doctrinæ

ex

ex locis, vel alio pio & eruditio libello Catechetico, discenda diximus, ad omnes pietatis & salutis sue studiosos pertinent. Illos vero qui ex professo Theologi futuri sunt, omni studio & diligencia in eam quoque curam incumbere oportet, ut certa aliqua ratione s. methodo & ipsi discant integrum veræ de DEO doctrinæ corpus, (qualis nemp̄ methodus hodie Systema audit) & alios recte, ordine, & perspicue docere & corruptelas verarum sententiarum evidenter possint refutare.

§. XIV. Ipsam Compendia & Systemata scribendi rationem quod concernit, non negari potest, quo propius ad Lutheri ætatem acceditur, eo ad exemplum Apostolici ævi simpliciorem & à Barbaris terminis, (qibus tamen nunquam planè caruit) magis immunem illam fuisse. Erat hoc divinum Lutheri nostri opus, ut ex Theologia sua ipsam terminorum, qibus Scholastici scriptores abundabant, & colluviem & barbariem, qua fieri posset, exterminaret. Sed non omnis, aut præcipua in nostris residet culpa, quod vel ipso Luthero vivente eoq; demortuo magis semper magisq; nostrorum operibus illi sese insinuarunt. Qvomodo contra Pontificios citra terminorum illorum usum poterat disputari, qui scripta nobis opposita his terminis repleverunt? Qvomodo non multiplicari succedenti tempore terminorum illorum frequentia poterat, cum novi subinde adversarii, qui è Zwinglii & Calvini & Socini & Arminii & innumerorum aliorum scholis prodeentes Philosophiam Theologiae infeliciter adulterio commiscebant, illis nos terminis uti, præter voluntatem nostram coegerunt, qibus disputationes adversus nos suas ipsi commacularunt. Nec vero illi ipsi, qui hoc nomine innocua Systemata criminantur, ubi aliquid ipsis rerum Theologicarum imprimis in certamine contra adversarium scribendum, ita Apostolorum simplicitati prope accedunt, ut in comparatione ad hanc illi succum gustumq; aliq; quem

qvem habere videantur. Qva vero de re alibi uberius dici poterit. Nunc id tantum pronuncio , nimis delicatas aures esse , qvæ in illustrissimis *Gerhardi* locis , Systemate inæstimabili , qvale sive qvoad incomparabilem tractandi perspicuitatem & ordinem , sive qvoad rerum præcisis minutis , tricis , inutilibus , amplitudinem , sive qvoad eruditioñem vere Theologicam forte, par aliud nunqvm existet , singulari Divinæ providentiæ , Ecclesiæ suæ extremis his temporibus curam agentis , adscribendum , Divinitatem , hoc est , simplicitatem , DEI filiis convenientem , desiderent. Ita ubique in fronte se prodit Divinus , qvi è Scriptura efficacissime sele insinuat , Spiritus , succedunt radii hujus Divinitatis penetrantissimi , in toto corpore doctrinæ Christianæ dispersi , ipsaqvè (vavissima harmonia sua (qvæ argumenta vocant , ex analogia fidei deducta) fidem divinæ originis facientes , qvibus subjungitur veteris illius , à manibus divinis quasi calidæ , innocentis , DEO suo unicè cum promptissima sanguinis sui effusione devotæ , Ecclesiæ consensus , qvi , qvem non totum commovet , eundem insipido stipiti , non homini comparare fas est : postremo agmen præsidiorum , pro veritate militantium , arma ex ratione deponita , ad qvæ & Paulus freqventer provocat , claudunt , qvæ pulcherrimas illius luminis , qvod naturæ humanæ DEUS primitus indidit , reliquias continent , qvas contemnere non potest , qvi earum autorem ingenue reveretur. Qvo vero ordine cœlestem veritatem asseruit Gerhardus , eo & errores , eidem adversos , efficacissimè refellit. Qvem non delectet , post sacras literas , in elegantissimo hoc Paradyso , Divinorum oraculorum flosculis & omnigenis amœnitatibus referto , versari ? Qvæ vero majora in Theologiam nostram o-

D

pera

pera & Systemata ex eo tempore à viris DEI conjecta sunt, obortas post Gerhardum controversias enixiori opera pertractant; qvibus tamen æque ac prioribus illis carere non possumus, qvia nec unam veritatis divinitus revelatæ particulam concedere adversariis & relinqvere indefensam debemus. Et qvanqvam non æqua est donorum divinorum in ministros suos distributio, alterqve alterum vel proponendi perspicuitate, vel acumine judicandi, vel dexteritate tractandi scripturas, vel antiquitatis notitia, vel qvacunqve alia eruditione superat, æqvum tamen non est, nec Christianum, ob unius alteriusqve doni defectum opus ipsum publico contemptui exponere. *Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus.* Aliis lingvarum notitia, aliis interpretatio, aliis sapientia, aliis cognitio data est. Unicuique autem datur, qvacunq datur, Spiritus manifestatio, ad utilitatem, si non tuam, saltem aliorum & aliquam. Causaqve est, qvia omnia agit unus ille & idem Spiritus, distribuens privatim illa singulis prout vult. I. Cor. XII. 4 7. II. Multo minus ob adhærentem unius alteriusve labori nævum ipsum Systematum institutum, in se salutare, fugillandum est. Qvod ii novissime fecerunt, qvi cum à magistris suis merito reprehendi eorum descendæ Theologiæ methodum audirent, qvi cum fundamenta cognoscendæ veritatis secundum pietatem è S. Literarum lectione & bonis compendiis nunqnam solide posuerunt, unicis Systematibus inhærent & controversiarum scientiam, qvæ postea in Ministerio minorem ipsis adfert fructum, notitiæ Biblicæ, in futuro officio ad promovendam pietatem unicè tractandæ, præponunt, (qvod studium præpostorum & exitiosum esse toto hoc discursu ostendimus) ipsa adeo carpere Systemata cœco impetu cœperunt, in eaqve privatis vel discursibus vel

Colle-

Collegiis, ita detonare , ut non possent non , præcipue apud tyrones Theologiæ, novitatis avidos, qviqve apud Theologorum neminem tale aliquid vel legerant, vel audiabant, in ludibrium abire. Prætexebatur enim , Systemata non continere omnia, qvæ ad complexum doctrinæ salutaris, ad manuductionem ad Scripturam, tanquam normam fidei nostræ , pertinereat, e. g. de regeneratione, (qvæ nempe hodie post tot seculorum silentium ex inferis quasi revocata & ab oblivione, qvæ apud anteriores Theologos sepulta latebat, qvippe, qvi conversionem tantum inculcabant , asserta est) de renovatione, (nam ab antiquioribus sanctificatio tantum docebatur) de illuminatione, (qvam veteres illi conversione contineri putabant) de testimonio Spiritus Sancti, (alii enim Theologi de certitudine tantum salutis agebant) de interno & externo cultu DEI, de interno & externo homine, de veteri & novo homine, de vetere & nova creatura, (cur verò non & de vetere atque novo Adamo) de ob-signatione Spiritus Sancti, de abnegatione sui ipsius, de eo, qvod fieri debeamus sicut pueri , de filiatione , de discrimine vivæ & mortuæ fidei, de precibus & aliis id genus; qibus infinita alia addi potuissent , si diserpere connexa & multiplicare Systematum titulos antiqui illi voluissent. Nec vero ullum unquam in lucem editum opus est, qvod omnes perfectionis numeros impleret & si recentiores isti Systemata conderent , qvod utique optandum esset, qvæ suo iudicio nihil necessiarum fidei doctrinarum omitterent, tamen dubitabuntne illi , qvin post aliquot annos surrecturi sint , qvi pari virgula censoria ipsorum operam essent castigaturi ? Causari enim illi non minori jure poterunt: optare se , ut omnia ipsorum Systemata tractarent de resurrectione ex morte spiritua-

D a

li

li, de vivificatione cum Christo , de testimonio trium in terra testium , de morte fidelium cum Christo , de mortificatione membrorum peccati , de revelatione interna & externa , de auditu verbi interno & externo , de cognitione DEI internâ , de comprehensione omnium rerum in Christo , de oblatione corporum suorum in sacrificium , de cognitione DEI vera & falsa, de gradibus perfectionis , per renovationem adipiscendis , de dignitate Christianorum , qva servi DEI efficiuntur , de alia dignitate , qva reges & sacerdotes redduntur , de vita fidelium in DEO , de crucifixione cum Christo , de manifestatione regni DEI in anima fideli , de discrimine tristitiae , qvæ est secundum DEUM & qvæ est mundana , de eo , qvod similes fieri debamus arboribus frugiferis , virginibus , avibus cura vacuis , DEO misericordi & perfecto , de eleemosyna & infinitis talibus . Ut enim harum rerum cognitio non est minoris , ac supra memoratæ , necessitatis : aut peculiarem pariter posthac cum illis in Systemate locum caputque occupabunt , aut si in locis qvibuslibet aliis , qui vel definitione cum iisdem idem sonant , vel ad eosdem , qvocunqve respectu referri possunt , perinde ut illæ , antiquioribus objectæ , tractari possunt , qvid opus est , hunc defectum in vulgaribus Systematibus accusare , eaqve & eortundem auctores juventutis contemptui exponere ? Id certe intempestivis ejusmodi censuris effectum est , ut jam plurimi nec nomen eorum sustineant audire , & pietatis esse existiment , innocuis libris irreconciliabile bellum indicere , ut soli scil . Scripturæ vacare possint . Hæc est naturæ nostræ indoles , ut dum vita re nititur vitia , in contraria currat .

§. XV. Ut in summam contrahamus , qvæ à nobis dicta sunt , docuimus (1) Qvanquam præter Scripturam S. plurimi sint libri sacri ex ipsa Scriptura summo studio deduci

dueti, tamen his ipsis, qvantalibet sanctitate præfulgeant,
Scripturæ lectionem præferendam esse, partim qvia Scri-
ptura sola fundamentum ultimum & immotum est, cui to-
ta fides nostra, reliqviq; sancti libri innituntur, §. I. par-
tim, qvia sola Scriptura S. nativam & ingenuam veritatis pu-
ritatem in se complectitur, cum reliqui sacri libri omnes,
qvicq; puritatis habent, ex Scriptura, tanquam fonte
habeant, à qva aliquando ob humanæ naturæ labilitatem
recedere possunt. §. II. Partim, qvod insitam Scriptura
habeat efficaciam, animum hominis, cum legitur, ad
res spirituales commovendi, qvalis nullis aliis scri-
ptis, nec nisi participative, in quantum Scripturam,
in aliqua parte sic tractatam, complectuntur, competit.
§. III. Partim, qvod innumeris admonitionibus & manda-
tis ad legendam Scripturam compellamus, qvalia de re-
liquis libris sacris nunquam legantur. §. IV. Agnovisse
hujus theses veritatem Beatum Lutherum, qui ideo o-
ptaverit, plerosque alios libros, etiam suos, perire & vel
solam remanere Scripturam. §. V. Qvod tamen de mo-
deratione potius scribendi libros, qvam de abolitione eo-
rundem omnimoda intelligendum esse, ex eodem Luthe-
ro & aliis argumentis docetur. §. VI. & VII. Qvo ipso
porro & (2) docetur, reliquos libros sacros, nominatim
Systematicos, à Scriptura adeo non absorberi, ut potius
Scriptura & per Scripturam DEus hos ipsos requirat, a-
deoq; hi Divinam habeant originem. Probatur hoc (a.)
qvia DEus non solam Scripturam nobis legendam propo-
suit, sed etiam Ministerium Ecclesiasticum instituit, qvod
Scripturam varie interpretaretur, doctrinasq; ad salutem
necessarias ex eadem educeret, illustraret, vindicaret & ap-
plicaret ad pietatis usum. Hos autem actus producere id,
qvod nos Systema vocamus. §. VIII. Probatur (β) ex Divini-
tus constituto ordine, in Scripturæ lectione & tractatione

obſervando, cum non nuda lectio, ſed lectio cum ſcrutinio & accurata totius contextus conſideratione coniuncta a DEO reqviratur, hunc autem ordinem & hoc ſcrutiniū, nemo teli- cius quam Ministerium Ecclesiasticum obire poſſit. Syſte- mata vero omniū perfectiſſimū obſervati hujuſ ordinis ſpeci- men repræſentare. §. IX. Probatur (y.) ex præcepta Divi- nitus, ſicut in Ecclesiæ ritibus, ita qvoqve in tradendis di- niſiſ mysteriis ~~m̄~~ξ, ſine qva doceri omnino, aut recte doceri cum fructu non poſteſt. §. X. Qvod confirmatur verbiſ D. Davidis Chytræi nostri. §. XI. Concluditur, Syſte- mata Theologica Divinam habere originem & nexum cum Scripturæ lectione indiſculsum. Et, ſi qviſ ex Syſte- matum lectione occaſionem ſumat, Scripturam negligendi, id ex accidenti eſſe, & præter doctrinæ a nobis traditæ intentionem, ex qva contrarium potius ſequatur. §. XII. Monetur deniqve, falſum eſſe, qvod a Professoribus Aca- demicis Theologiæ Syſtemata ejusdem tyronibus commen- dentur. Aliud clamare Theologiæ methodos, a doctoribus confeſtas. Qvanqam pro viribus qvilibet ſuis anniti debe- at, ut in Compendiis non ſubſtitat, ſed qvqusqve poſteſt, pro- vehatur. §. XIII. Et qvanqam Syſtematum non una eadem- que ſit ratio, nullam tamen haētenus cauſam ſufficientem adductam fuiffe, cur in ſe illa contemni & ſtudioſorum lu- dibrio, qvod faciant Novatores, exponi debeant. Laudan- tur ſuo merito Loci Theologici Gerhardiani. Qvæ vero a Fanaticis in vulgariibus Syſtematibus deſiderentur, ea non arguere niſi virulentum erga innocentis libros odium, defe- etusq; iis objectos fingi potius, quam probari. §. XIV. Pro hoc itaq; qvalicunq; labore DEO T. O. Tqve M. ingentes perſolventes gratias, ut Eccleſiam ſuam in innocua veritatis puritate conſervet, enixiſſimiſ precibus imploramus.

F I N I S.

Viderat ut Phœbus sacros, MÜLLERE, labores
Qvos tua jam FECHTI Præside Musa parat,
Qvam benè MÜLLERUS, dixit, Systema tuetur
Theologiae studii dans nova signa sui.
Applaudunt cœptis Phœbo præeunte Camenæ
Utqve feras studii præmia justa vovent.

*Pancis hisce Pereximio & Præstantissimo DNO. MÜL-
LERO vitam Academicam integre & laudabi-
liter hactenus agenti & hodie publice disputanti
gratari voluit.*

CHRISTIANUS HILTEBRANDUS,
Prof. Ducal. Ord. Publ. Facultatis suæ Senior,
& Univ. rsit. Rost. h. RECTOR.

Ad
Clare doctum pereximumq;
DN. MÜLLERUM,
Post varia privatim edita industriæ atqve eruditionis speci-
mina publice etiam ante abitum hic disputaturum
Lumen, † qvod studio, qvod doctrinaqve Docentum
Natus es, en! specimen sicut, Amice, parit;
Sic quoqve Lauricomos Tibi porro meretur honores,
Qvos Tibi præsentes mox velit esse DEUS!

† Hermannus Müllerus:

aspirata neglecta,

LMQ.

Lumen, merens laurus.

A. D. HABICH HORST. D.

Nobiliss. & Clariss.

DOMINO MÜLLERO,

S. P. P.

Qrum adhibitam à Te, ex qvo Academiæ nostræ Civis
factus es, in studiis diligentiam, in moribus probita-
tem

tem, inqve reliquo vitæ genere alienam ab eo, qvod dedecere personam Tuam noveras, modestiam cogito, & mihi met ipsi & Patriæ Tuæ gratulor, ex qua qvicunqve me hic vivente sacrarum literarum causa ad hanc bonæ mentis officinam accesserunt, non dissimilem perpetuo laudem reportasse mihi visi sunt. Tute eqvidem mearum quidem Scholarum publicarum, privatrumqve indefessus fuisti affectator, nec locum Tuum facile unquam desideravi. Quid in reliqvorum quoqve hujus Academiæ Doctorum disciplina proteceris publica hac disputatione, in qua ingenium, judiciumqve Tuum omnibus, qvod spero, probabis, palam facies. Nam & privatim cum Commilitonibus Tuis congredi & de variis rebus discerere, jam diu est, qvod didicisti. Ut igitur hic bonorum favorem illis Tuis virtutibus facile promeruisti: Ita qvis dubitet, qvin & Patriæ Tuæ Patres, si hanc studiorum Tuorum sementem ad eosdem attuleris, eadem Te benevolentia sint complexuri. Nec enim inutile Ecclesiæ Organon esse potest, qvod futuram officii administrationem istis inædificavit fulcris. Vale igitur, Optime MÜLLERE. Dab. d. XVIII. Jul. A. O. R. M. D. C. C. II.

Tui amantissimue

JO. FECHT. D.

Nec facibus virtus Tua, nec solertia tædis
Indiget; ipsa suo sydere clara nuncat.
Tute refers solem, lux est sapientia, & artes
Zodiacus, cursum sedulitate probas,
Pro radiis manifesta Tui documenta laboris
Fulgent & laudis nomina sponte capis.
Primum, defendens sancto *Systemata* nisu;
Ingredere egregia transitione gradum.

Sic

Sic perge, & prompto delatus itinere totos
Eusebiæ campos exsuperare potes.

Sic olim hospitio nostro gratabor honorem;
Me LUMEN PATRIÆ sustinuisse Tuæ.

*Hisce de egregio eruditionis suæ specimine Consalino &
Amico suo Iuvavissimo LMQ gratulatur.*

JOH. ERNESTUS SCHAPER,
Med. Dr. & Prof. Publ.

TU, MULERE, decus Livonum, flosqve Juventæ,
Et tu jam prodis non sine laude tua?
Qvæ concessa Tibi sint optima dona videmus;
Gratulor ergo Tibi, gratulor & Patriæ.

*Pancis hisce Cl. Dn. RESPONDENTI, Juveni pietate, mo-
destia & eruditione bonis omnibus commendatissimo,
Auditori meo variis in Collegiis per quam sedulo Faueo-
ri ac Amico optimo de egregio eruditionis specimine
animitus gratulari voluit.*

ZACH. GRAPIUS, D.

PRæmia fert victor; Mars lauro tempora cingit
Atqve Athleta suæ munera laudis habet.
TU, MULERE sacris tribuisti tempora Musis,
Qvæ totos animum detinuere dies,
Mane libros mediaqve diè, noctisqve sub umbra
Serotina varios volvere sæpe vidi.
Hinc & Amice, tuos comitatur oliva labores,
Hinc virtutis honor non moriturus erit.

*Quo benevoli affectus documentis
amicissimum suum MULLERUM
in virtutibus multiplicem
in eruditione singularem
LMQ. prosequitur.*

JAC. SEBAST. LAUREMBERG, J. U. D.
Nobi.

E

Nobilissimo Clarissimoqve Viro Juveni,
DN. HERMANNO MULLERO,
Riga Livono,

Fautori, Amico & Commilitoni meo valde dilecto
juxta ac æstumatissimò.

S. P. P.

Dum publicum Tuæ, hactenus indefesso studio exqvisitæ, doctrinæ, specimen paras, svavissime MULLERE, qvin qvalicunqve mea gratulatione ac voto laudatissimum hocce Tuum propositum proseqverer, intermittere non potui. Eqvidem rogaveras me carmen; ast exemplo & egomet esse possum ad confirmandum illius veritatem, qvod dicitur poëtas non fieri, sed nasci; utpote, cui denegatum voluit pro lubitu, eruditorum lectione qvæ digna sint, carmina contexendi donum provida rerum Mater, Natura. Non tamen penitus me silere fas esse ratus sum. Ex familiari enim Tua, qvæ per triennium propemodum viguit, mecum conversatione, ex mōgibus Tuis svavissimis, ex singulari tua & ferreâ ferè industriâ &c, qvæ omnium, qvæ in Te admiramur, bonorum fons est, ex non infucata Tua pietate, qvæ quanti virtutes facere Tuas debeam, hactenus satis sum superqve edoctus. Nihil à vero alieni dixero, si Tibi me multa debere affirmavero, qvod affirmare nullus erubescam. Etenim experientia me docuit virtutum amantibus non placere, nisi qvi & ipsi virtutibus student. Hinc eo mihi allaborandum duxi, quo Tuis meos etiam mores confirmarem. Tua persæpe industria effecit, qvam diu in seniori Philosophia excolenda assiduus mihi Commilito adfueristi, qui magis magisqve in studiis meis incrementa ceperim. Hoc certe, si non alio, nomine permultos, qvod libenter agnolco, Tibi debo grates. Ne credas velim, ullam unquam oblivionem merita Tua ex memoria mihi deletaram, qvæ vel omni die ob oculos mihi versabuntur. Revocabit eorum memoriam museum meum, qvoties, qvam in eodem sedulus occupare solitus es, sedem contuebor. Revocabit eam præsertim, qvam sub summe Venandi Nostri, de studiis nostris longe meritissimi, filialiique observantiâ ac pietate ætatem colendi, Præceptoris Præsidio defendere anniteris, Theologica Dissertatio. Gratulor Tibi interim hosce Tuos conatus animitus, prosperi-

MUM

num eorundem eventum vovens. Faxit Ter sanctum Numen, studia Tu
optatum aliquando obtineant finem, reliquiasque Tuis virtutibus nunquam
desint, easdem qui admirantur, estimantque. Hisce paucis Te volui, animo
meo commendatissime MULLERE! virtutibus Tuis amicitiaeque Nostrae
monumentum debens haut simulatum. Vale Amicè ex voto ac, quod feci-

stī hujusque, perge favere.

Scr. Rostoch. d. 19. Aug.

Anni 1702.

T.

amantissimo

FR. ALB. ÆPINO.



Wenn ein auffgeweckt Gemüthe/
So durch Gottes Wunder-Güte

Bon der etten Erden-Wust
Himmel auffwerts wird gesichret/
So daß man gar merclich spühret/
Wie daß seine grösste Lust
Sey die Weisheit anzuhören/
Sich darin nichts lassen söhren;
Legt man solchen ohne Scheu
Wahrer Weisheit Anfang bei (†)

Diesem nach/wenn man betrachtet/
Wie auch Er das hoch geachtet/
Was der Seelen Wohl betrifft/
Muß ein jeder/der Ihm kennet/
Der sich Freund und Feind Ihm neinet/
Ja auch selbst der Meider Glift
Und vergälder Jungen Stechen/
Diel zu schwach sein sich zu rächen/
Denn so legt Er Ickund dat
Das/ was sonst verborgen war.

(†) Proverb. IV. v. 7.

Er beweist zu Gottes Ehren/
Wie die Nuelle reiner Lehren
(Welche unsers Heils ein Grund)
Sey von recht-gesinnten Männern/
Und den lautern Wahrheit Kennern
Aufgeschöpfet/ und der Schlund
Der verruchten Irwisch-Gelster/
So sich der Geheimnis Meister (*)
Nennen wieder Gottes Wort/
Sei der breite Höllen-Pfort.

Fahr Er fort an solchem Gletsse/
Sich versichernd das dem Schwelße
Seiner angewandten Müh
Niemahls wird Belohnung fehlen/
Er wird nicht viel Jahr mehr zehlen/
Wo Er selbst nur will so fröh
An den Weinberg Gottes gehen/
So wird Er daselbst schon siehen/
Wo herab des Wortes Kraft
Gleßt auff Zions Bürgerschafft.

(*) Proverb. III. 32.

Dies wünscht seine Landsmannschafft/
nehmlich die hieselbst simplici Studierende
Auß Riga in Siefflandt.

Die

Die Warheit sieget ob / und lässt das treue Kämpffen
vor sich nicht ohne Ruhm und reichen Wucher
sehn:

Denn wie die Sonne kan den duncklen Nebel dampfen /

So ist der Warheit Licht im unverhältnen Schein.

Er lässt getreuer Freund sein kluges Thun und Wissen
Zum Schutz der Warheit ißt im frühen Kampf · Blah
sehn /

Was kan man anders wohl auf solcher Arbeit schliessen /

Als daß sein Lob dadurch wird in die Höhe gehn.

So fahr er demnach fort die Warheit zu beschühen

Ihm bleibt der sichre Lohn schon offenbahr bereit.

Er wird mit allem Recht bald an der Stelle sitzen

Wo man verehrt daß Licht der Lehrer unsrer Zeit.

Mit diesen wenigen wolten Ihr wohlmei-
nendes Gemühte gegen dem Herrn
Respondenten als ihren wehrtesten
Hn. Bisch. Genossen an den Tag legen

Ghr. Excell. **H**rn. D. SCHAPERS,
sämpl. Bisch. Genossen.

Das treue Freundschafts-Band macht mir den
Fleiß bekandt /


Davon wir heut die Frucht in reicher Erndte schauen.

Drumb wünsch ich: Das du bald mögst in den Ehren-
Standt

Zum Lohn im Vaterland den Weinberg Gottes bauen.

Dieses hat seine aufrichtige Liebe und Freudenliche
Treue zu temoigniren seinen wehrtesten Freunde
schen wollen

GÜNTH. FRIDR. à WALWITZ,
Eqves Thuring.



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!



3 A 10206

